LUDOVICI LEMOSII

IUDICIUM

OPERUM

MAGNI HIPPOCRATIS

PRIMUM SEORSIM EDIDIT

ET

PRAEFATUS EST

IOAN. GOTTLIEB THIERFELDER,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTOR ET APUD MISNENSES
MEDICUS PUBLICUS ET PRACTICUS.

MISENAE,

SUMPTIBUS ET TYPIS C. E. KLINKICHTII ET FIL.

CIↃIↃCCCXXXV.

LUDOVICI LEMOSII

IUDICIUM

OPERUM

MAGNI HIPPOCRATIS

PRIMUM SEORSIM EDIDIT

ET

PRAEFATUS EST

IOAN. GOTTLIEB THIERFELDER,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTOR ET APUD MISNENSES MEDICUS PUBLICUS ET PRACTICUS.

MISENAE,

SUMPTIBUS ET TYPIS C. E. KLINKICHTII ET FIL.

CIƆIƆCCCXXXV.

LECTURIS S.

Ludovicus Lemosius, Lusitanus, vir doctus atque eruditus, et medicinae olim in academia Salmanticensi professor, saeculo XVI. exeunte in Hippocrateorum librorum aut integritate approbanda, aut falsitate demonstranda inprimis operam suam collocavit.

Quo in negotio etsi multi, iique clarissimi viri, iam ante Lemosium et post eum versati sunt, qui de Hippocrate Hippocrateisque monumentis multum meruerunt, tamen horum facile princeps et sit et habeatur necesse est Lemosius.

In suo enim de operibus magni Hippocratis

iudicio, quod cum ipsius de optima praedicendi ratione libris, primum Salmanticae CIↃIↃLXXXV. octonis et postea Venetiis CIↃIↃXLII. eadem forma prodiit, neque copiosam librorum antiquorum lectionem, neque diligens studium ad vera certaque eruenda desiderabis.

Galeno quidem, ut reliqui harum rerum scriptores illius aetatis fere omnes, inprimis duce usus est, ita tamen, ut sibi propriam viam pararet, ubi Galenus deficere aut errare videretur.

Verum enimvero hic Lemosii labor hucusque tam rarus fuit, ut vix haberi compararive posset, neque viri in literarum disciplina versatissimi eum viderent unquam.

Quare cum nuper mihi contigisset, esse tam felici, ut Venetam illam Lemosii operis editionem nanciscerer, operae pretium me facturum existimavi, si eiusdem de iudicio operum Hippocratis libellum denuo ac seorsim typis exscribendum curarem.

Id autem mei officii in hoc negotio esse putavi, ut innumeris fere mendis typographicis deletis, quibus Veneta editio scatebat, textum

puriorem exhiberem et citata, quae maximam partem accuratiori notatione carebant, ita allegarem, ut facili quisque negotio ea, quae Lemosius idonea ad scita confirmanda esse volueral, invenire posset.

Haec fere sunt, quae Lemosium lecturis de hac mea editione nota esse volui. Valete.

Scripsi Misenae, mense Ianuario CIƆIƆCCCXXXV.

Argumentum iudicii.

Quinquaginta fere sunt volumina, quae nomine Hippocratis circumferuntur, ab omnibusque sub hoc nomine et praesertim a Galeno passim citantur, omnia tamen Hippocratis, qui ob praestantiam magnus vocatur, procul dubio non sunt, sed plurium aliorum, qui eo nomine, utpote insigni, gavisi fuere, medici omnes et eiusdem familiae omnes. Cuius sane rei non ignarus Galenus veritatis aperiendae cupidus, commentarium, cum maius otium nactus fuerit, componere destinavit, in quo viam aperiret, quemadmodum ea omnia opera suis auctoribus restituenda quidem forent. Verum cum is liber, vel quia non composuit, vel quia periit, non exstet, collectis omnibus, quae sua et ex aliorum sententia ex transcursu super hac re in omnibus libris suis Galenus scripserit, libellum hunc conficere proposui, ne Hippocratis

studiosi tam periculosa homonymia deinceps decipiantur, unde non mediocre incommodum saluti imminet. Nam inter tot plagas, quas Hippocratis scripta passa fuerunt, haec non mediocris est, quod Hippocratis opera alienis mista operibus calumnientur, ita ut, si Hippocrates viveret, sua scripta minime cognosceret, quod aliorum livoribus vicibusque quasi deformia reddita sint, quemadmodum ex iis, quae in hoc parvo libello dicemus, cognosces. Neque me fallit, fore aliquem, qui hunc laborem nostrum acutis naribus et caperata fronte condemnet, negetque me omnia, quae ad inventionem librorum magni Hippocratis pertinent, attigisse, quem ego verum dicere, fatebor, juste negabo. Quippe si bonus est, quae omisi, non oblita mihi, sed praeterita, existimet. Dehinc qualiscunque est, cogitet secum, quam multa de his non reperiisset, si ipse quaesisset. Postremo, quod facile est, cum ipse multa invenerit, comparet se atque me: occupatum cum otioso, pransum cum abstemio, diligentiam meam et calumniam suam. Alius enim alio plura invenire potest, nemo omnia.

CAPUT I.

Quantum sit necesse, libros veterum incorruptos habere.

Maxima olim fuit inter veteres Hippocratis magni interpretes de libris eius controversia: quinam essent illius germani ac proprii, qui vero spurii ac falso tanto viro attributi. De quibus alii alia dixerunt, ut non facile sit, certum aliquid de ipsis pronuntiare. Quod ipse Galenus alta mente considerans, de propriis libris Hippocratis, veluti de suis fecit, librum scribere pollicitus est. Si unquam maius, inquit, in prooemio lib. de humoribus, otium nanciscar, commentarium profecto conficiam, in quo qui veri, quique spurii libri Hippocratis sint, exponam, et lib. VI. cap. 5. de Hippocr. et Galen. decretis, et nos etiam, ait, si Deus aliquando concesserit, ut de germanis utrisque Hippocratis libris commentarium scriba-

mus, pluribus ostendemus. An vero Galenus hoc opus ediderit, minime constat, cum non exstet, neque aliquis sit scriptor, qui illud legisse testetur. Videbat namque sapientissimus Galenus non parum conferre ad medicam facultatem intelligendam, scire, quaenam essent propria opera ac germana cuiuslibet auctoris: propterea quod, si in libro sapientis manifestum mendacium deprehendamus, potius dubitandum est, nos non intelligere, quam illum errasse, ut comment. in Hipp. aphorism. lib. VI. 34. scriptum ipse reliquit, aut amice esse interpretandum, quam hostiliter insectandum, quod, cap. 5. lib. II. de symptomatum causis, scribit. Hinc Galenus veteres scripturas semper eligebat, licet difficilius explicarentur, ut ipse, comment. in Hippocratis Epidemior. lib. VI. sect. III. 31., tradidit. Quod si opus non esse alicuius auctoris magni nominis constiterit, haud dubie baccis plenis et ipsum errare et reprehendere non erubescemus, eo quod ab aliis edocti, illis et meliores et doctiores effici possumus.

Quare in eo maxime laborandum est, ut diligenter verus auctor operis cuiuslibet perscrutetur, quisnam ille sit, ut argumentum ad rem probandam firmius et stabilius evadat, ut Aristoteles, cap. 9. lib. I. Topicor., advertit. Nam licet in medicina duo sint instrumenta, quibus omnia firmare solent medici ac stabilire, ratio scilicet et expe-

rientia, quibus ipsa medicina et praeter mathematicas artes, pleraeque aliae fulciuntur; auctores tamen, qui rationes excogitarunt et easdem experientia confirmarunt, maximi habendi sunt, nisi omnia noviter velimus experiri et omnium rationem subinde investigare: quod licet nostra vita triplo longior esset, nullo pacto id consequi possemus. Unde enim nos Agaricum pituitam attrahere cognoscimus, et huic morbo prodesse, illi vero nocere? Num quid ratione aut nostris experientiis id invenimus? minime sane; ab auctoribus illud accepimus, nosque illis eatenus feliciores sumus, quod ea, quae illi longo temporis spatio, multis laboribus curisque invenerunt, brevi tempore discimus. Quod si posthac non negligenter artes excolere et similium dissimiliumque discretionibus assiduam operam studiumque impendere voluerimus, nihil vetabit, quominus veteribus meliores eruditioresque efficiamur. Habemus enim in qualibet arte, quem praecipue imitemur: Physiologi habent suum Aristotelem, Geometrae Euclidem, Astrologi Ptolemaeum; nos medici Hippocratem, non quemvis, sed magnum. Is enim praecepta curandi morbos optime docuit, praecepta, inquam, generalia, non particularia, quae neque ipse attigit, ut plane fatetur in ea epistola, quam ad Cratevam scripsit. Ego enim, dicens, etiamsi iam senex sim, nondum ad finem medicinae perveni. Quae vero ad praedictionem morborum spectant,

absolute absolvit. Illa vero, quae ad cognitionem ipsorum pertinebant, etsi obscure ac imperfecte, ab illo tamen illa edocti, ut nihil nobis ignotum fuerit relictum. Huius ergo viri tam celebris germana opera investiganda sunt et cum maxima diligentia inquirenda, quod quantum difficile sit, facile intelligetur ex verbis Galeni, qui in illis duobus locis tempus commentarium scribendi desiderat, quod nunquam edidit, ut vel etiam ex libello suorum operum palam est, quod in aliis operibus scribendis numquam sic pollicitus est. Indicavit tamen Galenus viam et methodum, qua opera haec invenire valeamus, quoniam librum aliquem non esse alicuius auctoris, potest a loquendi modo et ab ipsá sententia reprobari, ut, commentar. in Hipp. aphorism. lib. VII. 63., ipse tradidit. Cum igitur unum germanum pro comperto habuerimus, ex modo dicendi et acumine sententiarum, instar huius alios reperiemus, ut Galenus ostendit, in prooemio comment. in librum de humoribus. Iis igitur vestigiis, tanquam certissimis ducibus, possumus tuto libros germanos ac proprios magni Hippocratis venari, eosque ab spuriis et corruptis distinguere. Unde autem tantum malum in medicina evenerit, ut nomine Hippocratis multi alii libri circumferantur, qui Hippocratis non sunt, paucis dicam. Ante aetatem regum Alexandriae et Pergami nullum librum falsum titulum habuisse Galenus, comment. 1. in lib. I. de humoribus,

affirmat, in hunc modum dicens, quo enim tempore Pergameni Alexandrinique reges inter se de libris sibi comparandis certatim contendebant, eo ipso tempore ab iis, qui pecuniarum causa ad reges clarorum hominum scripta afferebant, et confectiones librorum depravari coeperunt. Et commentar. in Hipp. de natura humana lib. I. 43., antequam enim, inquit, reges in Alexandria et Pergamo in comparandis veterum libris largiter munifici essent, necdum falso liber fuerat inscriptus, cum qui librum ipsis veteris cuiuspiam viri afferrent, accipere pretium incepissent, sic multos, ubi falsam inscriptionem fecissent, attulere. Maximum enim certamen fuit in libris comparandis inter Attalum, regem Pergami, et Ptolemaeum, regem Alexandriae, ut Galenus, in prooemio commentarii in lib. II. de natura humana, scriptum reliquit. Nam quo tempore, ait, Attalici et Ptolemaici reges invicem in comparandis libris de munificentia contendebant, malitia initium habuit circa ipsorum eum inscriptiones tum apparatus in iis nimirum, qui ad reges, ut argentum acciperent, libros illustrium virorum afferrent. Nam tanti studii ad veterum libros comparandos Ptolemaei illius magnum esse argumentum referunt rationem, quam habebat cum Atheniensibus; qui, quindecim pigneratis argenti talentis, Sophoclis ab eis accepit, et Euripidis Aeschylique libros, ut eos tantum describeret et mox sartos tectos restitueret. Magnifice

cum apparavisset eos in pulcherrimis membranis, quos ab Atheniensibus acceperat, retinuit, illis misit, quos ipse paraverat, orans quindecim talenta tenerent acciperentque novos pro veteribus, quos ipsi dederant libros. Quod si Atheniensibus ne novos quidem remisisset libros, sed veteres retinuisset, non erat, quod aegre ferrent, qui argentum hac lege acceperant, ut hoc ipsi servarent, si ille retineret libros. Atque illi simul et novis libris et argento sunt potiti. Haec Galenus, comm. II. in lib. III. de morbis vulgaribus 4. Hanc etiam Ptolemaei diligentiam in libris comparandis confirmat Eusebius, cap. 1. lib. VIII. de praeparatione evangelica, qui ob traductionem scripturae ad Eleazarum pontificem auri quinquaginta talenta, argenti centum et lapides non paucos ad crateras, phialas et mensam, caeteraque vasa et sacrificia facienda Deo, misit. Haec etiam scribit Iustinus Martyr, in sermone exhortatorio ad gentes. Itaque veteres illi nihil intentatum inexpertumque reliquerunt, nihil occultatum, quod non prodesse posteris cuperent.

Pompeius cognomento magnus, superato Mithridate, commentationum medicinae ac antidotorum exemplaria, quae ille in arcanis suis reliquit, transferre sermone latino, ut vitae hominum prodesset, libertum suum Lenaeum iussit. Medici illi, quorum huius maxime intererat, auctores priscos non situ obsolescere, sed etiam barbarissimos

et peregrinos scriptores, in vicem optimorum surrogari sunt passi. Veteres igitur medici, licet omnia non attigerint, reprehendendi non sunt, imo potius laudandi, quod investigare sunt conati, veluti Hippocrates, lib. I. de victus ratione, inquit. Et suis philosophis maximas agere gratias oportere, licet omnia non coluerint, Aristoteles multis in locis affirmat et praesertim cap. 5. lib. II. de coelo.

CAPUT II.

De more veterum scribendi in tabulis et de origine artis impressoriae.

Non minor causa fuit depravatae scripturae librorum scribendi mos, quo veteres utebantur, et eosdem publicandi consuetudo. Scripsisse enim veteres in tabulis, constat ex iis, quae statim subiiciam. In operibus Hippocratis, lib. VI. sect. 8. de morbis vulgaribus, scribitur: haec ex parva tabella. Et Galenus, libr. II. cap. 8. de difficultate respirationis, inquit, puto hoc fuisse adscriptum a Thessalo Hippocratis filio, qui ut notaret, undenam omnia, quae collegerat, sumpta essent, sic addidit, ut postea cognosceret, unde illa essent repetenda, si quid fortassis occurrisset. Consuesse autem veteres in tabulis aut tabellis suas res conscribere, constat inter omnes. Alia etiam in

membranis, alia in codicibus tiliae scribebant, ut in prooemio comment. I. in librum de medici officina, Galenus scribit. Membranae autem dicuntur chartae pergamenae, quod de animalium membris sint detractae, in quorum tergoribus primum ab uno latere scribi coeptum, deinde ab utroque, derasis pilis. Harum usus Pergami, regnante Eumene inchoavit, magnamque earum vim rex Attalus Romam misit, ut penuria chartae pellibus pensaretur, unde Pergamenorum nomen ad hanc usque diem, tradente sibi invicem per manus posteritate, servatum est. Quinctilianus, lib. X. cap. 3. instit. orator., inquit: illa quoque minora non sunt transeunda, scribi optime ceris, in quibus facillima est delendi ratio, nisi forte visus infirmior membranarum potius usum exiget, Plinius, lib. VII. cap. 21. histor. natural.: in nuce inclusum Iliadem, Homeri carmen, in membrana scriptum, tradidit Cicero. Martialis lib. I.:

Hos eme, quos arctat brevibus membrana tabellis.

Horatius in arte:

Membranis intus positis. Delere licebit,
Quod non edideris.

Cicero pro C. Rabirio, cum inquit, auditae visaeque merces, fallaces quidem et fucosae, chartis et linteis et vitro delatae. Differt autem charta a mem-

brana, quod membranae pelliceae sunt, et Pergami primum inventae, unde et Pergamenae sunt appellatae. Chartae autem olim ex papyro in Aegypto fiebant, ut Plinius ostendit, cap. 12. lib. XIII. hist. natur. Apud nos de centonibus certo quodam modo maceratis et glutino concretis firmantur. Chartam ex papyro in victoria magni Alexandri inventam, scribit Varro, antea palmarum foliis scriptitatum fuisse, deinde quarundam arborum libris, postea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox et privata linteis et schedis confici coepta. Ptolemaeus autem chartas, Eumenes vero membranas, cum uterque eorum maximas haberet bibliothecas, invenerunt, quorum alter Pergami, alter Aegypti rex fuit, ut supra dictum est. Plinius autem putat chartarum usum Numae temporibus fuisse, idque auctoritate Cassii Heminae confirmat, qui C. Terentium scribam, agrum suum in ianiculo repastinantem, invenisse, ait, arcam, in qua Numa rex situs esset, et in ea libros eius e charta scriptos. Sed Numam pluribus aetatibus ante Alexandrum fuisse constat. Solebant etiam prisci in corticibus arborum nomina deliciarum suarum notare. Virgilius, Eclog. X.:

Tenerisque meos incidere amores
Arboribus: crescent illae, crescetis amores.

Et in Eclog. V.:

Imo haec, in viridi nuper quae cortice fagi
Carmina descripsi, et modulans alterna notavi,
Experiar.

Oenone quoque ad Paridem apud Ovidium sic dixit:

Populus est, memini, fluviali consita ripa,
Est in qua nostri litera scripta memor.
Et quantum trunci, tantum mea nomina crescunt,
Crescite, et in titulos surgite rite meos.

Publicabant autem veteres libros suos in templo sui Dei, palam eos collocantes, ut omnibus esset perspicua editio, qui si non essent a viris doctissimis huic muneri dicatis approbati, ut etiam nunc regia lege sancitum est, nequaquam divulgebantur, nisi tales essent auctores, quod extra omnem ingenii aleam ponerentur, quibus sine approbatione licitum erat, in publicum edere, quicquid vellent. Quam promulgandi facultatem Augustus Virgilio concessit, veluti Eclog. I.:

Et ipsum
Ludere, quae vellem, calamo permisit agresti.

Poëtae enim ad templum Apollinis opera sua deferebant, quod Augustus, ut ait Suetonius cap. 29., in ea parte Palatinae domus excitavit, quam ful-

mine ictam desiderari a Deo Haruspices pronuntiarent. Addita porticus cum bibliotheca latina graecaque, quo loco iam senior saepe etiam senatum habuit, decuriasque iudicum recognovit. Ad hoc templum Martialis librum suum mittebat, dicens, Epigr. 38. lib. I.:

Inde sacro veneranda petes palatia clivo
Plurima qua summi fulget imago ducis.

Et Epigr. 3. lib. XII.:

Iure tuo veneranda novi pete limina templi
Reddita Pierio sunt tibi templa choro.

Et Persius in praefatione dixit:

Ipse semipaganus
Ad sacra vatum carmen affero nostrum.

Quacunque igitur ab Hippocrate scripta sunt, ut divulgarentur, in templo erant posita, ideoque limata ac perfecta. Opera quoque Galeni in templo reponebantur, qualia fuerunt de compositione medicamentorum per genera, quae Romae una cum aliis incendia conflagrarunt, quando Pacis delubrum totum et ingentes palatii bibliothecae exustae fuere, ut ipse Galenus ait, cap. 1. lib. I. de compos. medic. per genera, et cap. 2. et 11. lib. de libris propriis. Postquam vero ars impressoria inventa est, minus corrumpi libri coeperunt, tum quia maior copia illorum est, tum etiam quia inter excu-

dendum correctores adsunt ad errores castigandos et delendos. Coepit autem haec celeberrima ars anno Christi CIƆCCCCXL., inventa a Ioanne Gutembergio Germano Argentino. Is enim primus artem excusoriam in urbe Argentina invenit. Inde Moguntiam veniens eandem feliciter complevit. Hinc Beroaldus in quodam Hendecasyllabo de laude huius artis cecinit:

O Germania muneris repertrix,
Quo nil utilius dedit vetustas:
Libros scribere, quae doces premendo.

Non piguit in praesentia eum qui chalcographiam invenit, memorare. Non sunt enim tantae rei auctores sua laude fraudandi, praesertim ut posteritas sciat, quibus hoc divinum et immortale munus acceptum referre debeat.

CAPUT III.

De magno Hippocrate, patre et avo, filiis et nepotibus.

Praestantia et sapientia Hippocratis magni constat ex illa epistola, quam Paetus regi Artaxerxi scripsit, in hunc modum: naturalia auxilia pestilentis morbi popularem grassationem non solvunt. Qui enim ex natura fiunt morbi, eos ipsa natura iudicans sanat. Qui vero ex populari grassatione, eos ars curat, artificiose iudicans corporum mutationem. Hippocrates autem medicus curat hoc malum. Et genere quidem est Doriensis, ex civitate Co, patre Heraclida, qui filius fuit Hippocratis, qui Gnosidici, qui Nebri, qui Sostrati, qui Theodori, qui Cleomyttadae, qui Crisamidis. Est igitur divinus Hippocrates nonus quidem a Crisamide rege, decimus autem et octavus ab Aesculapio, vigesimus vero a Iove, ex matre vero

Praxithea Phaenaretes filia, ex familia Heraclidarum. Quare ex utroque semine a Diis ortum habet Divinus Hippocrates, ut qui a patre quidem Asclepiades est, a matre vero Heraclides. Didicit autem artem, tum a patre Heraclida, tum ab avo Hippocrate. Verum ab iis quidem primum, velut verisimile est, in re medica initiatus est, quantum sane credibile est hos novisse. Universam vero artem ipse seipsum docuit, divina natura usus, et in tantum animi industria progenitoribus transgressus, quantum etiam artis praestantia eosdem superavit. Tollit autem non bestiarum genus, sed ferorum ac agrestium morborum, per magnam terrae ac maris partem Aesculapii auxilia, quemadmodum Triptolemus Cereris semina, dispergens. Proinde iustissime in multis terrae locis divinos honores etiam ipse consecutus est et iisdem donariis cum Hercule et Aesculapio Atheniensibus dignus factus est. Hunc ipsum accese et auri atque argenti quantum voluerit ipsi dare iube. Hic enim non unum modum curationis huius morbi novit. Hic est sanitatis pater, hic servator, hic dolorum curator, in summa, hic divinae scientiae particeps. Vale. Cum ergo ab universa Graecia pestem fugaret Hippocrates, accensis ignibus, ob eam rem Athenis aurea statua illi erecta est et, ut Aristophanes inquit, honores Herculi decretos uni Hippocrati, ob eius merita, universa Graecia impertiebat, veluti sui Coi, qui singulis annis illi per multa

saecula parentabant eo praecipue die, quo natus fuerat. Est autem natus Hippocrates primo anno LXXX. Olympiadis, die 27. mensis Agrianei. Floruit eo tempore, quo Democritus Abderitanus, ut ex epistolis ipsius constat. Plinius, cap. 37. lib. VII. hist. natur., inquit: Hippocrates in medicina, qui venientem ex Illiriis pestilentiam praedixit et discipulos ad auxiliandum circa urbes dimisit, quod ob meritum honores illi quos Herculi decrevit Graecia, et cap. 1. lib. XXIX., ait, sequentia eius (mirum dictu) in nocte densissima latuere usque ad Peloponesiacum bellum, tunc eam revocavit in lucem Hippocrates, genitus in insula Coo, inprimis clara ac valida et Aesculapio dicata. Is cum fuisset mos, liberatos morbis scribere in templo eius Dei, quid auxiliatum esset, ut postea similitudo proficeret, scripsisse ea traditur, atque, ut Varro apud nos credit, iam templo cremato instituisse medicinam hanc, quae clinice vocatur. Et cap. 2. lib. XXVI. de laude Hippocratis, ita inquit: Hippocratis certe, qui primus praecepta medendi clarissime condidit, referta herbarum mentione invenimus volumina. Eusebius, in suo chronico, tradit natum Hippocratem fuisse anno mundi 4760., quo tempore Ezras propheta quoque viguit. Suidas sic de Hippocrate scripsit: Eius libri tanquam divino emanaverint ore, ubique celebrantur, in primo enim Iusiurandum continetur, in secundo Prognostica, tertio Aphorismi, quarto illa admira-

bilis compositio LX. libris omnem scientiam medicinae complectens. Excessit e vita annos natus CIV., suscepit filios Thessalum et Draconem. Hunc ergo Hippocratem nullus ante Galenum intellexit, a quo multis variisque nominibus laudatur, verax enim a Galeno appellatur, probus, magnus, omnium philosophorum et medicorum princeps, diligentissimus magister, nobilissimus auctor et dux omnium disciplinarum medicinae artis omnium bonorum auctor maxime admirandus, divinus, senex venerandus, cuius dictio tanquam Dei vox est, vir qui nihil frustra aut dixit, aut scripsit. Plato, in Protagora et in Phaedro, Aesculapii successorem nuncupat. Macrobius, cap. 6 lib. I. somn. Scip., neque fallere, neque falli posse hunc Hippocratem, tradidit. Habuit Hippocrates iste magnos duos filios, Thessalum et Draconem, ut constat ex oratione Thessali, filii Hippocratis, ad Athenienses. Me vero, inquit, in Macedoniam demisit. Cum regibus enim Heraclidarum, qui isthic imperium obtinent, paterna nobis intercedit amicitia. Et ego quidem ibam a Thessalia eo, quo me pater iussit, auxilium his qui isthic essent, laturus. Iniunxit autem mihi, ut etiam urbi vestrae opem ferrem. At fratrem meum Draconem ex Pegasis profectum in Hellespontum navigare iussit, consimili consilio instructum, quali etiam ipse utebatur. Non enim omnes loci eadem auxilia ferunt, eo quod non omnis ambiens nos aër similis est. Polybum vero, qui

filiam ipsius, meam autem sororem habet, et alios discipulos ad alios aliorum conventus et vias profecturos emisit, quo quam plurimis opitularetur. Habuit etiam Hippocrates magnus duos nepotes ex Thessalo et Dracone, ex quocunque Hippocratem unum, ut Galenus, comm. I. lib. I. de humor., inquit in hunc modum: Dioscorides autem existimavit hanc dictionem esse Hippocratis Thessali filii, siquidem magnus Hippocrates duos habuit filios, Thessalum et Draconem, quorum uterque filium nomine Hippocratem suscepit, et idem repetit Galenus, comm. in prorrhetic. 18. lib. II., et cap. 18. lib. II. de difficult. respirat., et comm. I. lib. II. de natura humana. Porro non nepotes per Graeciae civitates quemadmodum filios et generum Hippocratem dispersisse ad pestilentiam sedandam, ex oratione Thessali coniicis, quam cum Atheniensibus habuit a Cois legatione immissus, quod eo tempore vel nati non fuerint, vel nondum in medicina instructi. Et lib. III. de difficult. respirat. in fine: filios Hippocratis eiusdem cum parente artis fuisse Galenus scribit, a quibus non longe Euryphontem abesse, quem inter praecipuos eius aetatis semper connumerat, quoties in suis operibus eiusdem meminit. Nam de Thessalo, in prooemio comm. II. in lib. III. de morb. vulg. speciatim, dixit: erat autem inter filios Hippocratis probatissimus, qui parentis mentem est assecutus. Et in prooemio comm. super librum de human. natura, de ipso

una cum Polybo scribit: eiusdem Hippocratis artem et scientiam habuisse et ab iis non remotum esse Euryphontem, quorum omnium opera Hippocrati attribuuntur, ut addit in fine lib. III. de diffic. respir. De Polybo speciatim etiam, in prooemio super librum de human. natur., quod non solum Hippocratis discipulus fuit, sed etiam in discipulis docendis successor, qui nullum plane ipsius dogma sibi vendicans, in ullo ipsius libro transmutasse videtur, quemadmodum neque Thessalus eius filius, memorabilis sane vir et hic existimatus, sed qui non in patria sicut Polybus permanserit. Nam Archelao, regi Macedoniae familiaritate convixit. Quos omnes praeter Draconem scripsisse, in hoc libello videbimus. Medicus tamen Draco ipse fuit, et pater eum cum Thessalo et Polybo per Graeciae civitates ad tollendam pestilentiam dispersit, ut supra relatum est. Quod autem Galenus libro illo, quod animi mores corporis temperaturas sequantur, cap. 4. inquit: Hippocratis autem filii ob calorem immodicum stulti in Comicorum fabulis videntur, ubi nomine Comicorum intelligit Ludovicus Caelius cap. 26. lib. XXV. antiq. lect. Aristophanem, qui ita ait:

> *Hippocratis filios exhibebis teque vocant Fatuum.*

Hinc Hippocratis filii in proverbium abiit pro fatuis. Unde Solon, ut Plutarchus refert in eius

vita ad Pisistratum, dixit: non recte o fili Hippocratis Homericum Ulissem assimilas. Non est intelligendum hoc opprobrium in filios Hippocratis illius magni proiectum, ut ex dictis constat, sed in filios alicuius nepotis aut alterius Hippocratis medici, quoniam, ut Suidas testatur, quinque fuere Hippocrates, omnes quidem eiusdem artis et familiae. De hoc tamen quinto in monumentis Galeni nihil dictum reperimus.

CAPUT IV.

De causis corruptorum operum magni Hippocratis.

Multae sunt causae, quae iudicii certitudinem obfuscant, quibus minus intelligamus, quodnam sit verum ac germanum magni Hippocratis opus. Et prima quidem est nomen ipsum. Fuerunt enim plures Hippocrates medici, ut paulo supra diximus. Homonymia igitur nominis opera Hippocratis obscura reddidit. Cum enim inscribitur opus Hippocratis, dubium est, cui Hippocrati illud vere attribuatur. Deinde quod dictionis characterem possibile sit servare. Thessalus enim eius filius maxime in dictione Hippocratem est imitatus, ut Galenus, in prooemio commentar. in lib. III. de morb. vulg., tradidit. Tertio quod unus et idem scriptor modo robustiore, modo remissiore dictione per aetatem utatur, et cum non

sit ubique sui similis, facile erit, eius opus aut commutare, aut imitari. Item quod multa sunt inserta in libris Hippocratis, quod Galenus vehementer deplorat, comm. I. in lib. I. prorrhetic. 4., et comm. II. in lib. VI. de morb. vulg. 41., et comm. III. in eund. lib. XIX. Et verba huius loci referre libet: Thessalus, inquit, Hippocratis filius, si in patris commentariis repertum rescripsit et libro interseruit, male fecit. Nam a patre longo tempore diiudicata et per aphorismos in communem enuntiationem redacta firmiora ipsum putare oportuit, quam illa, quae dum quaererentur antea, nondum cognoscebantur. Quod si ipse ex se id adscripsit, longe maius peccatum commisit, patris communem enunciationem invertens atque depravans. At si quispiam alius Thessalo posterior librum hunc scripsit, male et ipse fecit. Ut enim saepe iteravimus, experientia rerum evidenter apparentium iudex est, non ratio, quam sibi unusquisque verisimiliter commentus fuerit. Nam cum aliquid fieri fama sit, ratio investigat atque id ita esse contendit; cum quid autem plane fieri conspicitur, nugatoria et supervacua ratio est, quae ipsum fieri causam afferens dicat. Et comm. V. in eund. lib. V., quamobrem, ait, neque legitimam hanc eius esse particulam, sed ab aliquo, ut plerasque alias, fuisse interpositam. Forsan vero et eius filium Thessalum patris scripta collegisse aiunt, in chartis et choriis et tabellis ea nactum et huius

generis quasdam particulas interiecisse. Qua de re multa Galenus scribit, comm. I. in lib. III. de morb. vulg. 4., et comm. II. in prooemio, et in prooemio comm. IV. in lib. de ratione vict., et comm. in lib. I. de human. natur. 1. Adde quod veteres et recentiores Hippocratis interpretes, cum nomen dictionis ignorarint, multa, quae minime dicebat, attulerunt, corrigentes sane ea, quae non intelligebant, ut, comm. in lib. I. de human. natur. 24., inquit Galenus. Inter omnes autem qui veteres scripturas perverterunt, Capitonem et Dioscoridem ad hoc faciendum audacissimos reperio, ait idem Galenus, in prooemio comm. in lib. VI. de morb. vulg. Et comm. in lib. I. de hum. natur. 1.: Artemidorus inquit, qui Capito fuit appellatus, edidit Hippocratis libros, quam editionem approbat non solum Adrianus imperator, sed etiam nunc multi non modice excolunt, sicuti et eam quam Dioscorides edidit cognatus ipsius: Utrique igitur multas veteres scripturas immutarunt, quas norunt tantum ii, qui libros Hippocratis exposuere. Verum Capito praeter caeteras quidem et hanc, quam nunc in manibus habemus immutavit, quam in hunc modum scripsit: non enim in universum aërem dicimus hominem esse, neque ignem, neque aquam. Quoniam profecto librum antiqui hominis non adinvenit, qui terram solum dixerit elementum esse, neque historia perhiberi, praesertim a Peripateticis viris talem historiam excernentibus, quidquam eius-

cemodi opinionis cuique fuisse adscriptum, factum est, ut dictionem aliquam audacter immutarit. Quibus et sequentibus verbis, non ut dicebat, reprehendit Capitonem: non enim a dictione Hippocratis terram delevit, quia non invenit librum hominis antiqui et praesertim ex Peripateticis, qui solam terram esse elementum tradiderit, quoniam Aristoteles, cap. 4. lib. I. Metaphysic., dixit: Hesiodum huius sententiae fuisse, quam ipse in lib. II., quem inscripsit: opera et dies, scriptam reliquit. Et eundem Hesiodum, licet nomine tacito, citat Aristoteles, cap. 1. lib. II. Physic. Quod si idem Aristoteles, cap. 2. lib. I. de anima, scripsit: terram nullum iudicem habuisse, intelligendus est in iis, quae ad animam spectant. Redeamus ad Hippocratis correctores, quos etiam reprehendit Galenus, in prooemio comm. in lib. de iis, quae in medicatrina fiunt. Neque minor causa fuit operis depravati inscriptionis libri mutatio, imo inter omnes haec potissimum locum videtur habere, ut et singulis libris examinandis postea adducemus, nunc id omittimus, ne saepe in parvo libello eadem cogamur repetere. Librarii etiam seu transscriptores libros Hippocratis perverterunt, veluti Galenus, comm. II. in lib. I. de morb. vulg. 83. et comm. in lib. III. de humorib. 29., scriptum reliquit. Alias quoque causas Galenus, cap. 1. lib. de libris propriis, adducit: hanc igitur ob rem, dicens, et quoniam libros meos multi multi-

fariam laeserunt, tanquam ipsorum proprios alii in aliis gentibus legentes quaedam tum demendo, tum addendo, tum immutando, consultum mihi visum est eam prius causam, quam propter illi hactenus corrupti, et deinceps qui mei revera sint libri et quae cuiusque materia exponere.

CAPUT V.

De libris editis a magno Hippocrate.

Galenus, comm. I. in lib. III. de morb. vulg. 4., inquit in hunc modum: miror huius libri, ut aliorum etiam Hippocratis multorum infelicitatem, quorum hi sunt dissipati, illi aliquid habent scriptis Hippocraticis adjectum. Rectius dicam fortasse infelicem non fuisse librum, caeterum nos eius lectores, qui tempus in re perdimus inani, id est difficili et quae consequi non potest. Hanc igitur ob rem et quoniam libros Hippocratis multi multifariam laeserunt, tanquam ipsorum proprios, alii in aliis gentibus legentes, quaedam tum demendo, tum addendo, tum immutando, consultum mihi visum fuit, eas prius causas, propter quas illi hactenus corrupti sunt, explicare, ut dictum est, et nunc qui revera Hippocratis magni libri sunt et quae cuiusque materia exponere, initium

a libris de morbis vulgaribus sumendo. Quae autem fuerit de horum librorum auctore Galeni sententia, ipse explicat, cap. 8. lib. II. de diffic. respirat. relicens: cum septem quidem sint de morbis vulgaribus libri, horum utique septimus evidenter spurius, iunior et subornatus omnibus apparet; quintus vero non magni Hippocratis illius Heraclidae filii, sed iunioris, Draconis nimirum; sunt autem, quibus secundus, quartus et sextus Hippocratis esse filii, nonnulli etiam, quibus ipsius Hippocratis esse visi sunt; non tamen exquisita cura scripti et ordine digesti, neque tales, ut qui aliquando Graecis ederentur, sed ut commentarii tantum rerum antea observatarum memoriam suggerentes essent. Quibusdam vero, qui exactius librorum vim didicisse videntur, quinque quidem a Thessalo, duo autem a magno Hippocrate conscripti esse existimantur, et propterea alibi inscriptos esse hoc titulo, quae ex parva tabella; quod scilicet, Thessalus omnia, quaecunque pater eius conscripsisset, ne quid periret, in unum colligere librum studuerit; solos vero ex septem iis libris primum et tertium magni esse Hippocratis prope omnibus in confesso est. Et cap. 1. lib. III. eiusdem operis, inquit: quemadmodum autem primus et tertius non solum ab Hippocrate compositi esse videntur his, qui optime de his sentiunt ac iudicant, sed etiam ob speculationis familiaritatem mutuo inter se connexi: eodem modo, opinor, habent

ea quae in secundo et quarto et sexto habentur. In confesso est enim iam etiam hos Thessalum Hippocratis filium composuisse, ut qui in parentis tabulis, aut chartis, sive pellibus et membranis quibusdam commentarios repererit, ipseque etiam aliqua, eaque non pauca, de suo addiderit. At vero quintum et septimum morborum popularium non videtur mihi quisquam genuina Hippocratis doctrina dignos censere, et, ut ego sentio, neque quartum, quamvis quidam etiam hunc a Thessalo compositum esse putent. Et comm. II. in lib. VI. de morbb. vulgg. 13., scripta namque, ait, ab Hippocrate in diversis vel chartis vel tabulis eius filium Thessalum collegisse eius duosque hos libros secundum videlicet ac sextum integrasse, nonnulli et quartum addunt; primum vero ac tertium, ut ederentur, compositos esse constat. Ex quibus certe omnibus satis perspicuum est, primum et tertium librum de morbis vulgaribus ad magnum Hippocratem esse referendum, secundum vero ac sextum, veterum et Galeni sententia, vel ad magnum illum Hippocratem, vel huius filium Thessalum auctorem referri posse; alios vero ad ipsius Hippocratis nepotes. De qua re lege etiam eundem Galenum, in prooemio comm. in lib. VI. de morbb. vulgg. et comm. I. 2. et comm. II. 44. Ex quibus quoque illud est intelligendum, nonnullos libros Hippocratem scripsisse, ut ederentur, alios vero ut sibi duntaxat eorum, quae viderat, fidelem suggereret me-

moriam et, ut Plato dixit, ad oblivionem senectutis, quae ipse Hippocrates commentaria appellavit, vulgo memoralia vocantur. Et haec quidem de auctoribus horum librorum. Iam ad eorum titulum accedamus. Inscribitur hoc opus: Epidemion, id est, de morbis popularibus seu populariter vagantibus, qui scilicet tempore quodam plures in eodem loco infestat. Qua quidem ratione non tantum pestilentiam, sed et quicunque alii morbi, qui in regione aliqua, eodem tempore multos invadunt, complectantur. Qui si cum hoc quod pluribus communes sint, aliud etiam habeant, ut plurimos interimant, iam hic morbus pestis nominabitur. Itaque errare passim medicorum vulgus manifestum est, qui epidemiam cum peste confundunt, cum locum generis Epidemia ad pestem obtineat. Cuius rei testis est Galenus, qui, comm. in lib. I. de ratione victus 9., ita inquit: hac ratione, quam plurimos quidem morbos uno tempore fieri ostendit, quos sane, ubi perniciosi fuerint, pestem nominant; ubi autem mitiores alia quadam appellatione explicant, populares vocantes, ut sit quidem popularis morbus, qui tempore quodam anni in regione aliqua abundat; pestis vero epidemia perniciosa. Haec ille. Illud etiam advertendum est, Hippocratem in his libris potissimum, quae ipsi experiebatur in aegrotis, scribere, quorum rationem alibi suggerit, cum scilicet sese offert occasio. Proinde hos libros priores esse aliis, dum adhuc

theoremata experimentis exploraret, ab Hippocrate scriptos esse, quemadmodum testatur Galenus, cap. 3. lib. I. de diebb. decrett., dicens: demonstratum autem nobis est alibi, nec iam minus ex sequentibus clarum evadet, prius epidemiῶn libros Hippocratem scripsisse, dum speculationes adhuc experimentis exploraret, nec generatim sententiam de eis proferre auderet, et cap. 6. lib. II. eiusdem operis, demonstratum enim, ait, nobis saepius est, epidemiorum libros prognostico prius et aphorismis scriptos esse, quod memoriam rerum prius observatarum suggerant.

Aphorismos autem esse magni Hippocratis Galenus, cap. 1. lib. III. de diffic. respir., affirmat; item Rufus, Pelops, Lycus, Soranus, Domnas, Attalio et multi alii, qui Hippocratis interpretes exstitere; quod etiam gravitas sententiarum (est enim Hippocratis sententia in aphorismis quasi natura loquens), quae hic traduntur, facile confirmat. Deinde quod nemo tale opus aggressus sit post Hippocratem, quem philosophi amicum naturae dixerunt. Tentavit quidem Democritus talem librum conscribere, sed non potuit, ut Oribasius, in prooemio comm. in aphorism. Hipp., scribit. Quin etiam apud Graecos aphorismi primum ex studiosissima Hippocratis Coi opera et solicita indagine inclaruerunt. Libri aphorismorum septem

sunt, in quibus ad finem libri septimi nonnulli nothi sunt additi, ut Galenus advertit, in prooemio comm. in lib. IV. de ratione vict. et in aliis libris; nonnulli etiam interiecti fuere, ut Galenus scribit, comm. in lib. VII. 47. et 63. et lib. V. 62. et 63. et lib. VI. 26. et 44. Porro aphorismus, ut de inscriptione dicamus, nil aliud est quam sermo, qui brevissimis verbis omnes rei proprietates explicat et circumscribit, ut definit Galenus, comm. in lib. I. 1., lib. II. 28., lib. IV. 47., lib. V. 64. et in comm. in lib. IV. de rat. vict. 19. et in principio lib. VI. de simpl. medic. facult. Aphorismus etiam est sermo verborum quidem inops, sensibus autem locuples ac dives. Quod de scientiarum principiis solet Aristoteles enunciare: maxima nimirum qualitate, licet mole minima sane sint, ut, cap. 9. lib. II. Elench. et cap. 5. lib. I. de coelo, tradidit. Hinc Galenus, cap. 6. lib. I. de crisibus, dixit: in aphorismis sola capita Hippocratem constituisse, quae in prognosticis particulariter dicuntur. Definitiones quoque aphorismos appellat Galenus, comm. in lib. IV. de artic. 42. Collegit autem Hippocrates aphorismos ex iis, quae in libris de morbis vulgaribus ipse Hippocrates est expertus, quemadmodum Galenus, comm. in lib. III. prognostic. 38., scripsit, ubi nomine sententiarum, veluti in aliis plurimis locis, aphorismos intellexit. Nomen aphorismi de-

ductum est a verbo ἀφορίζω, quod seligere significat. Est enim aphorismus quasi sententia selecta, ut ex retro dictis clare intelligitur.

Prognostica quoque esse eiusdem auctoris confirmat Galenus multis in locis, tum praecipue cap. 1. et 13. lib. III. de difficult. respir. Est enim hoc opus exactum, ut comm. II. in lib. VI. de morbb. vulgg. 44. scribit Galenus, quod hactenus nemo reprehendere ausus est, eodem, cap. 6. lib. III. de diffic. resp., auctore. Et licet ex aliis operibus suis magnus meruit appellari Hippocrates, ut, cap. 13. lib. de subfiguratione empirica, tradit Galenus, praecipue hoc nomen adeptus est ex arte ac scientia praedicendi, adeoque ut divinus hanc ob causam appellatus fuerit et omnium posteriorum iudicio Aesculapii gloriam adeptus est. Quare opus hoc non solum perfectum ac consummatum est, sed dignum, ut multis nominibus commendetur ac laudetur, ut latius, cap. 3. lib. I. de optima praedicendi ratione, diximus. De inscriptione huius operis nihil hic dicam, cum multa, cap. 1. operis citati, dixerim, ad quem locum studiosum lectorem mittimus.

Caeterum libri de victus ratione in morbis acutis germanissimi Hippocratis magni sunt, quemadmodum Galenus affirmat, cap. 1. lib. III. de difficul. respir., et cap. 6. ita inquit: atque nullus,

de iis libris loquebatur, eorum, qui ex contentionis studio multos Hippocratis libros velut non genuinos rescindunt, hunc librum detruncare ac Hippocrati auferre ausus est. Et in prooemio comm. II. in lib. III. de morbb. vulgg. ait: deinde amicorum exhortatione persuasus, commentariis libri de victus ratione in morbis acutis partem exposui, partem ad balneorum usque usum, quae quidem germanissima habetur. Haec adiunxit Galenus, quia liber quartus de ratione victus Hippocratis non est, veluti ipse, in prooemio eiusdem libri, in hunc modum asserit: quae in libro de victus ratione post eum, qui de balneis est, sermonem scribuntur, iure optimo plerique medicorum Hippocratis non esse sint suspicati. Nam ab iis, quae antea scripta sunt, et vi interpretationis et theorematum integritate longo discedunt intervallo. Et comm. eiusdem libri 5., inquit: liber hic, etsi Hippocratis non sit, antiquus tamen est, quippe qui legitimo operi iam Erisistrati temporibus adiectus fuerit. Et comm. in lib. II. eiusdem operis 38., nempe, ait, qui in hoc libro ad balneorum considerationem exstant, si quis, veluti in typo, ab Hippocrate ad futuram memoriam scripta, in domo reperiens post viri mortem depromsit, forsan ratione quidem hoc fecit, veruntamen ut liber, digna Hippocratis mente non sunt. Multis autem modis ii libri inscribuntur: de ptisana et adversus Gnidias sententias, ut Galenus, comm. in lib. I. eius-

dem operis 18., cap. 6. lib. III. de difficult. resp., cap. 6. lib. IX. de decr. Hipp. et Platon., cap. 2. lib. VIII. method. medend., docet. Plinius hos libros de ptisana citavit, cap. 7. lib. 18. hist. nat. Item Coelius Aurelianus, cap. 12. lib. I. acutar. passion. et cap. 19. lib. II. Adversus Gnidias sententias idem Coelius inscribit, cap. 8. lib. III. acut. pass. et cap. 3. lib. IV. tardar. pass. Caeterum huiusmodi sententiae Gnidiae Euryphonti attribuuntur, ut Galenus, comm. I. in lib. VI. de morbb. vulgg. 29., testatur. Nomen deduxere a Gnidio; Euryphon enim Gnidius fuit, ut ipse Coelius, cap. 17. lib. III. acutar. pass., inquit, velut a Coo Coacae praenotiones. Utramque autem inscriptionem reprehendit Galenus, cap. 39. lib. III. de aliment. facult. veluti et in aliquibus locis retro citatis. Vera autem inscriptio horum librorum est de victus ratione in morbis acutis et de ratione victus acutorum, et haec posterior apud Galenum frequentior est, ut passim in eius monumentis reperitur. Verba quoque illa de victus ratione non referenda sunt solum ad cibum et potum, sed ad alias etiam res non naturales, ut Galenus, comm. III. in lib. III. de morbb. vulgg. 9. ita docet: victum appello non hanc tantum, qui cibo et potione constat, verum etiam qui omnibus aliis, ut otio, exercitatione, balneo, venere, somno, vigiliis et omnibus, quae quovis fiunt modo in corporibus humanis.

Liber de aqua, aëre et locis germanus Hippocratis est, ut, cap. 1. lib. III. de diffic. respir., docet Galenus. Quem de habitationibus et aquis et temporibus et regionibus vult esse inscribendum Galenus, cap. 6. lib. de propriis libris, cujus in hunc librum commentaria non exstant. Agit ergo Hippocrates in hoc libro de morbis regionalibus veluti in epidemiis, de morbis, qui passim grassantes nominantur. Differunt namque quod hi quidem per aliquod tempus aliquam regionem pervadunt, hi vero incolas, ac si cognati essent, nullo non tempore comitentur. Quo factum est, ut in libro de aëre, aquis et regionibus aegritudines regionales docuerit, quae per singulas habitationes fiunt, in epidemiis aegritudines, quae per aliquod tempus passim vel civitates vel nationes adoriantur, et consuevit quidem ambo haec aegritudinum genera et communia et passim grassantia nuncupare, caeteras autem omnes sporadicas, id est dispersas, scilicet quae non omnino multos, sed seorsum unumquemque prehendunt. Ubi illud advertendum est, quod morbi communes aut fiunt ratione aëris, aut regionis, aut utriusque causa: illi, qui fiunt ratione aëris, epidemii populariterque grassantes dicuntur, de quibus in libris de morbis vulgaribus agit Hippocrates, et quos oportet medicum diligentissime considerare, docuit lib. III. prognostic. 38. et sect. 8. lib. VI. de morbis vulgar. 6. Verum si morbus is vulgaris id quidem habeat, ut in aliqua pri-

vatim regione saepissime multos apprehendat, is morbus patrius vernaculusque et endemus dicitur, de quo Hippocrates in libro de aëre, aquis et locis. Alii vero morbi, qui et ratione aëris et regionis proveniunt, sporades dicuntur, quasi dispersi et distincti positi, qui plurimum ex eorum sunt genere, qui ex victu consistunt, ideoque Hippocrates in libris de victu acutorum de illis egit. Omnes igitur relatos libros Hippocratis esse Galenus palam fatetur ad finem lib. III. de difficult. respirat.

Porro ab hoc numero liber de natura humana exterminandus nequaquam est, idque vel sententia ipsius Galeni confirmandum, qui, cap. 6. lib. de libris propriis, inquit: tum libros de natura hominis duos, quibus iam absolutis, cum audivissem calumniari quosdam hunc librum tanquam adulterinum, commotus sum alios adhuc tres libros conscribere, qui huiuscemodi habent inscriptionem. Quod Hippocratem in aliis suis scriptis concordem habere sententiam cum eo de hominis natura libro appareat. Quae verba iterum repetit in postremis verbis commentarii in illum librum. Et paulo supra testimonio Platonis in Phaedro veluti et in prooemio eiusdem libri, probat librum de natura hominis Hippocratis esse. Fuit autem Plato maxime vicinus Hippocrati, ut discipulorum Hippocratis coaetaneus esset, ut in vita Platonis refer-

tur. Inscribitur autem ille liber de natura humana, ac si dixisset de principiis ac elementis hominis, tum animalium, tum omnium aliorum, ut ipse, 15. eiusdem libri, declarat et Galenus in expositione confirmat. Talis, inquit, est natura non hominis solum, sed etiam omnium aliorum, scilicet ex calido, et frigido, et sicco et humido simplicibus atque extremis attemperata. Hinc edidit Galenus duos libros de elementis secundum Hippocratem. In hanc sententiam et laudem huius operis de natura humana multa annotavimus in nostris commentariis super libr. I. de method. med. cap. 2. Ex quo loco clare intelligitur, librum de natura hominis Hippocratis esse. Is vero Hippocrates est, qui discipulos adiurat suos, antequam doceat, et in verba sua iurare compellit, et silentium sacramento extorquet, sermonem, incessum, habitumque quoque praescribens, et alia quae suo Iureiurando habentur, a quo esse sumendum initium in facienda medicina volunt veteres Hippocratis interpretes, ut Oribasius, in praefatione comm. in aphorismos Hippocratis, advertit et Scribonius Largus, in praefatione ad Caium Iulium Callistum.

Epistolae, quae ad finem operum Hippocratis exstant, illius magni sunt, quemadmodum ex Plutarcho constat, in vita Catonis Censorini.

Liber de alimento parvus quidem est, sed plenus multis variisque sententiis, quae ab alio, quam

ab Hippocrate magno scribi non poterant, ideo eius esse hunc librum plane affirmo, et ita sub hoc nomine eum citat Galenus, cap. VI. lib. VI. de locis affectis, et comm. III. in lib. VI. de morbb. vulgarr. 1., et cap. 17. lib. I. de compos. medic. per genera, et aliis sexcentis locis, in quibus fere omnia, quae Hippocrates in eo libro scripsit, ipse interpretatur. Si enim Hippocrati brevitas est propria, sententiarum acumen, dicendi gravitas, is certe liber Hippocratis est, propterea quod in eo illa tria reperiuntur, et praeter id pronuntiatorum veritas, quae sola sat erat, ut per eam libros Hippocratis inveniremus.

Genuinum quoque esse Hippocratis librum de humoribus Galenus affirmat in commentariis propriis, et licet non desint, qui velint hunc librum a Thessalo Hippocratis filio, aut a Polybo eius genero confectum esse, quorum uterque in suis scriptis artem et sententiam Hippocratis secutus est: Galenus tamen ubique Hippocratis nomine eum veluti germanum citat et laudat, tum alibi, tum etiam in praefatione comm. II. in lib. III. de morbis vulgaribus, in quo etiam loco librum de vulneribus capitis et de ulceribus pro genuinis ac propriis ipsius Hippocratis habet, et etiam cap. 6. lib. de libris propriis, quippe qui et dictione et sententiarum pondere et argumentorum plena bonae frugis tractatione genuinam illam medicinae parentis Hippocratis sapientiam referre videntur.

Liber de fracturis et de articulis, ex aliquorum sententia, comm. in lib. I. de victus ratione 18., attribuitur Hippocrati Gnosidici filio, avo nempe magni Hippocratis Heraclidae filio. Verum si penitius sententiarum pondus horum librorum perpendamus, haud dubie esse magni Hippocratis opera inveniemus, ideoque ea opera exacta esse dixit Galenus, comment. II. in lib. VI. de morb. vulg. 44., et inter opera magni Hippocratis ipsa quoque enumeravit, in prooemio comm. II. in lib. III. de morbis vulgar. et cap. 6. lib. de propriis libris.

Liber de iis, quae in medicatrina fiunt, ab Hippocrate magno fuit factus, non tamen ut ederetur, sed in modum commentarioli exemplaris, post tamen auctoris mortem fuit editus, ut declarat Galenus, comm. in lib. III. eiusdem operis 27., et comm. in lib. II. 23. inquit: non fuisse recognitum ab Hippocrate priusquam ederetur, ideoque opus non absolutum ipsum appellat, comm. eiusdem libri 26. Hinc est, quod nonnulli Hippocratis interpretes crediderunt, opus hoc esse primi illius Hippocratis Gnosidici filii. Non enim, inquiunt, debere nos existimare brevem illum librum, qui nunc ita inscribitur, esse eum, qui a magno Hippocrate fuerit conscriptus, qui inter Graecos optimus et medicus et scriptor habitus fuit, veluti scripsit Galenus, comm. I. in lib. de fracturis 1.

Quo etiam in loco reprehendit Galenus eos, qui unam communem inscriptionem esse asseruerunt, quae in medicatrina fiunt, praedictis libris, qui deinde ob magnitudinem in duas partes fuerit divisus, quarum altera, quae prior est, de fracturis, secunda de articulis inscriptionem obtinuerit, veluti etiam idem Galenus, comm. IV. in lib. de artic. 47., refert. De inscriptione hac multa Galenus, comm. I. in libr. eiusdem nominis 5. et cap. 6. libr. de propriis libris, de iis quae in medicatrina fiunt, id est de iis quae ex medica ratione fiunt, item de officina chirurgiae seu de medico vulnerario.

Liber de natura pueri editus est a magno Hippocrate, adeo ut Galenus, cap. 2. libri an animal sit id, quod in utero est, dicat: scripta in eo libro ab Hippocrate, veluti ex Delphico tripode praedivinante ac praedicante, esse asserta, et cap. 9. libr. I. de semine, admirabilem ac divinum appellat Hippocratem, ob ea quae in eo libro scripsit. Et Macrobius, cap. 6. lib. I. somn. Scipion., citans hunc librum, inquit, Hippocratem neque fallere, neque falli posse. Quod si haec vera sunt, mirum est, cur Galenus videatur quasi palinodiam recantare, cap. 1. libri de foetus formatione, dubitans de hoc libro, num sit Hippocratis, an vero Polybi eius discipuli, nisi velit Polybum aequalem facere cum magno Hippocrate, quod nullo

pacto erit concedendum. Neque illud erit praetereundum, quod aliud doceat Hippocrates in hoc libro, quam se facturum antea in iureiurando pollicitus sit, advocans omnes tum Deos tum Deas etiam sibi testes, se nunquam medicamentum, quo foetum corrumpere possit, propinaturum, neque cuiquam ut id faceret, consulturum. Interim tamen iam contrarium fecisse videtur, dum illo libro uxoris suae psaltriam, quam non fuerat honestum concepisse, ad eiiciendum foetum commoverit.

Libellus de lege, licet nunquam a Galeno citetur, magni Hippocratis esse videtur. In eo namque docentur conditiones futuri medici et digni arte Hippocratica. Quisquis enim, inquit, medicinae scientiam vere sibi comparare volet, cum iis ducibus voti sui compotem fieri oportet: natura, doctrina, loco studiis apto, institutione a puero, industria et tempore, quas omnes conditiones minutatim, cap. 25. libri I. nostr. paradoxor., explicuimus. Inscribitur ergo de lege ac si diceret de natura. Lex namque apud Hippocratem naturam significat, lib. I. de fracturis, et libro de genitura in primis verbis, scribit ille auctor: lex omnia corroborat, id est, natura.

Liber de septimestri partu Hippocratis quoque est, ut commentarii Galeni in illum librum ostendunt, et idem confirmat, comm. VII. in lib.

VI. de morbb. vulgg. 27. Perinde dicendum est de libro de octimestri partu. Liber quoque de superfoetatione Hippocratis esse videtur. Propterea quod quae in hoc libro continentur, in aliis germanis ipsius Hippocratis reperiuntur.

Haec sunt Hippocratis opera, quae Galenus medicorum maximus auxit, amplificavit et ad summum usque complevit. Difficillimas enim ob brevitatem Hippocratis sententias et oracula adeo sapientissime, copiosissime et clarissime aperuit, ut ex una Hippocratis sententiola nobis plurima commentaria reliquerit. Post hos autem duo in medica facultate lumina plurimi tum Graeci, tum Arabes atque Latini emerserunt, qui illos fidelissime interpretando multa condiderunt volumina, quibus rei medicae auctio facta est et plurima antiquis partim omissa, partim ignorata nos docuerunt. Hac nempe via ut reliquae artes, sic medicina ad id devenit, ut ad cumulum eius nil amplius desideretur.

CAPUT VI.

De libris Polybi passim nomine Hippocratis citatis.

Praeter Draconem et Thessalum, ut dictum iam est, habuit Hippocrates magnus filiam, quae Polybo Hippocratis discipulo nupsit. Qui non solum discipulus fuit, sed etiam in docendis discipulis successor, nulli sane visus in suis ipsius libris ab Hippocratis doctrina deviare, non secus ac Thessalus filius ipsius et hic quidem vir admirandus. Sed in patrio solo, sicut Polybus non vixit, versatus cum Archelao rege Macedoniae. Is ergo multa opera conscripsit, inter quae liber secundus de natura humana est, veluti Galenus, cap. 3. lib. VI. de decretis Hippocratis et Plat., docuit. Et in prooemio lib. secundi de natura humana, inquit: et videtur quidem esse commentarium Polybi Hippocratis auditoris. Aristoteles

quoque, cap. 3. lib. III. de histor. animal., nomine Polybi citat ea, quae ibidem de venis scribuntur. Et hoc argumento liber de ossium natura est Polybi, propterea quod eandem sapiat doctrinam, ut de venis et aliis videre licet, quam in libro secundo de natura humana tradidit. Nusquam tamen a Galeno citatum reperio, saepius a Rufo in libris quos de corporis humani partium appellationibus composuit. Apud Ianum Cornarium liber de ossium natura inscribitur etiam Mochlicus, id est rectiarius. Mochlia autem traductio est ossis aut ossium ad naturalem locum ab eo, qui praeter naturam sit. Liber etiam de salubri diaeta Polybi est, ut plane fatetur Galenus, in prooemio comm. in eundem librum, et comm. 4. et comm. in lib. I. de victus ratione 18.

CAPUT VII.

De libris, qui Hippocrati Draconis filio tribuuntur.

Galenus, cap. 8. lib. II. de difficul. respir., inquit: librum quintum de morbis vulgaribus esse Hippocratis filii Draconis. Quintus vero, ait, non magni Hippocratis Heraclidae filii, sed iunioris filii Draconis. Ex iis constabit, libellum de insania huius Hippocratis esse, in quo ita scripsit: porro in quinto popularium morborum libro quendam recensui, cui fiebat vocis interceptio, ignorantia, frequentes delirationes et reversiones. Quo etiam in loco libellum de morbo sacro citat a se scriptum, quemadmodum, inquit: in libello de morbo sacro dixi.

CAPUT VIII.

De libris, qui Hippocrati Thessali filio tribuuntur.

Galenus, comm. I. in lib. VI. de morbis vulg. 29., ex sententia Dioscoridis vult lib. de morbis esse Hippocratis Thessali filii. Quinetiam, inquit, et in libro de morbis Hippocrati adscripto, quem Dioscorides ab altero Hippocrate Thessali filio scriptum esse voluit etc. Quod si hoc verum est, liber de genitura huius quoque Hippocratis erit, hoc sane argumento, quod veluti in libro quarto de morbis enumerantur quatuor humores iis nominibus: sanguis, bilis, aqua et pituita, sic et in libro de genitura referuntur, ut nomine aquae, quae in splene continetur, melancholia intelligatur. Nam Hippocrates hunc humorem non solet hoc nomine

appellare, ut constat ex libro primo de natura humana et ex illo libello Galeni, quem inscripsit: brevis denotatio dogmatum Hippocratis, veluti refert Stobaeus, serm. 101. Liber etiam de medicamentis purgantibus ob eandem causam huic Thessali filio tribuendus est.

CAPUT IX.

Quod Coacas praenotiones et prorrhetica utrique Hippocrati Galenus referat.

Galenus, comm. II. in lib. I. prorrhet. 52., inquit: quod saepius iam et antea dictum est, dicam et nunc. Qui librum hunc composuit, videtur quidem eiusdem cum magno Hippocrate esse artis, sed ipso longe est inferior, atque ob id quidam librum hunc Draconis Hippocratis, alii Thessali esse putaverunt. Duo siquidem magni Hippocratis filii fuisse perhibentur, Draco et Thessalus, quorum utriusque rursus filius Hippocrates.

Constat ergo ex iis Galeni verbis, prorrhetica et coacas praedictiones non esse magni Hippo-

cratis, quod erroribus sint plena, ut comm. II. in lib. III. de morbis vulgaribus 1., inquit Galenus. Et repetit idem comm. I. in lib. I. prorrhetic. 4. et comm. II. in eundem libr. 94. et comm. III. 95. et cap. 4. lib. de praecognit. ad Posthumum.

CAPUT X.

De libris de diaeta iudicium.

Fatetur Galenus, cap. 13. lib. I. de aliment. facult., librum de diaeta non esse Hippocratis, esse tamen viri alicuius antiqui, et comm. VI. in aphorism. 1., inquit: in libro autem de victu salubri, qui et ipsi Hippocrati adscribitur, licet qui adulterinum censent, nonnulli ad Aristonem, nonnulli ad Philistionem, quidam ad Pherecydem referant, scribuntur haec verba. Et comm. in lib. I. de ratione victus 18., ait: tum etiam ex Hippocrate ipso, qui in libro de victu salubri de Chondro ipso mentionem fecit. Nam etsi liber ille Hippocratis non sit, sed vel Euryphontis, vel Phaontis, vel Philistionis, vel Aristonis, vel alterius cuiuspiam ex antiquis, nempe ad multos librum hunc refe-

runt, sane omnes hi veteres viri sunt, atque ex eis quidam et Hippocrate antiquiores, alii vero tempore ipsius vixerunt. Et cap. 1. lib. I. de aliment. facultat., ita inquit: in praesentia vero tempus exposcit, ut alimentorum temperamenta exsequamur ea methodo, qua in libro de victus ratione scripta sunt, qui est, ut nonnullis placet, Hippocratis, ut aliis Philistionis, aut Aristonis, aut Euryphontis, aut Philitae, omnium antiquorum virorum. Initium autem ipsius in nonnullis exemplaribus est: ciborum omnium ac potuum facultates, tum naturales, tum arte accitas sic dignoscere oportet. In aliis autem hoc: locorum autem omnium situm ac naturam sic oportet dignoscere. Cum namque seorsim libellus ille circumfertur, de ratione victus inscribitur, estque is secunda pars, cum opus totum in partes tres sit divisum. Cum vero totus unicus et non divisus ex tribus conflatus invenitur, de natura humana et victus ratione inscribitur. Secunda igitur pars, in qua agitur de cibis, non ab re forte Hippocrate digna putabitur, sed prima quam plurimum ab Hippocratica sententia recedit.

CAPUT XI.

Quod caeteri libri Hippocratis magni non sunt, ad aliquem tamen virum antiquum sunt referendi.

Nunc sigillatim iudicium aliorum librorum percurram, ne quid in hoc munere obeundo intactum relinquatur. Liber de locis in homine, quem clarius inscribes de partibus corporis humani, non est magni Hippocratis, licet Rufus Ephesius, lib. II. de corporis humani partium appellationibus, sub Hippocratis nomine ipsum citet, et Coelius Aurelianus, cap. 1. lib. V. tardar. passion. ad finem, ut hinc cognoscatur quanta sit confusio in nomine Hippocratis. Liber de glandulis non est Hippocratis, ut Galenus inquit, comm. I. in lib. de artic. 46. Non tamen ullus, ait, de glandula-

rum solimembria Hippocratis liber nunc exstat, tametsi quidam ex recentioribus Hippocratis sectatoribus parvum quendam librum edidit de glandulorum solimembria inscriptum, qui et dicendi forma et sententiis longe a germanis Hippocratis operibus abest. Ut omittam, quod neque ex superioribus medicis quispiam mentionem eius fecit, neque qui indices librorum Hippocratis condidere, eum agnoscunt. Liber de affectionibus cuius sit a Galeno ambigitur, comm. VI. in lib. aphorism. 1. dicens: sive Hippocratis sit liber, sive Polybi eius discipuli. Liber de internis affectionibus Hippocrati attribuitur, sed quisnam sit eorum, dubitatur et merito quidem. Nam cum Hippocrates, lib. de artic., de diuturnis pulmonis morbis alibi dicturum promittat, liberque ille, ut Galenus, comm. III. in eundem librum 18., affirmat, non exstet, quamvis in maiori libro de affectionibus, qui incipit: si pulmonis arteria ulcerata sit, et in primo libro de morbis pulmonis multa sane scripta sint, in neutro tamen perfecte definita reperiuntur. Ubi utrumque opus non ab alio, quam ab Hippocrate scriptum a Galeno non admodum occulte insinuatur, qui ex tot Hippocratibus quis sit, constare non potest, nisi alterum ex nepotibus esse conieceris, nempe Thessali filium aut Draconis. Nec enim a primo Hippocrate utrumque librum esse confectum tibi persuadere poteris, cum ex quorundam

sententia, ut supra dictum est, nihil scripserit, nec a magno Hippocrate, quoniam, ut comm. in lib. II. de ratione victus 38. dicitur, digni magni Hippocratis non sunt, quanquam multa in his bene scripta sunt. Cum igitur utrumque opus neutrius numeratorum sit, nempe Hippocratis Gnosidici filii aut Heraclidae, alterius ex consobrinis esse coniectandum tibi relinquitur, Thessali videlicet filii aut Draconis. Mihi autem Thessali filius Hippocrates libri de internis affectionibus auctor est, non secus quam libri de morbis, quem eidem tribuere Galenus palam videtur, comm. I. in lib. VI. de morbis vulg. 29. Liber de carnibus, quem Caesar Scaliger, lib. XV. adversus Cardanum exotericar. exercitt. 10., de membrorum constitutione inscribit, non est Hippocratis, cum in eo reperiantur multa Hippocrate indigna, qualia sunt: de vita hominis, de nutrimento foetus, de generatione stercoris et alia non pauca. Liber de flatibus Hippocratis non est, sed memorabilis tamen viri videtur esse, tum quod ad dictionem, tum quod ad sententias attinet, quas Galenus non raro adducit. Hippocratis autem neque modus dicendi, neque sententiarum acumen in ipso est.

Caeteri libri, qui nomine Hippocratis passim circumferuntur, veluti liber de arte, de veteri

medicina, de medico, de decenti ornatu, de praeceptionibus, de corporum resectione, de exsectione foetus, de dentitione, de corde, de insomniis, de humidorum usu, de virginum morbis, de natura muliebri, de morbis mulierum, de sterilibus, de iudicationibus, de diebus iudicatoriis, de fistulis, de haemorrhoidibus, de visu, a Galeno nusquam citati reperiuntur, ideoque magni Hippocratis non sunt. Non tamen omnino sunt spernendi. Habent enim complures sententias memorabiles et non nisi ab aliquo viro doctissimo scriptas, et quae ex se fidem faciunt. Etenim in medicina quid dicatur, maxime considerandum est, et non, a quo dicatur, aut Graeco, aut Arabe, aut Latino. Remedia enim curant morbos, non auctores. Quare remedia a quovis petenda sunt, eaque ipsa aut bona, aut mala, confirmanda aut refutanda; auctores vero diligendi, qui nobis talia remedia invenerunt. Quod tibi apophtegmate Alexandri perspicue illustrabo. Alexandrum commonefaciebant, ut Graecis quidem sicut amicis, Barbaris autem sicut hostibus uteretur. Satius esset, respondit Alexander, haec virtute atque malitia dividi. Complures enim Graecos malos esse et Barbaros urbanos, sicut Indos et Arianos, Romanos etiam et Carthaginenses respublicas mirifice tractantes. Tanti ergo viri consilium sequamur, ut veritatem cuiuslibet rei caeteris omnibus anteponamus. Quare, lector

amice, in cuius gratiam haec summis vigiliis a me scripta et notata sunt, boni, praecor, consulas, si non rationem instituti mei perfecte absolverim, sat est brevem hanc submonitionem prosecutum fuisse.

Index capitum, quae in hoc libello continentur.

[illegible]

MISENAE,
SUMPTIBUS ET TYPIS C. E. KLINKICHTII ET FIL.